Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift

atque in eius temptationibus laboriosis et periculosis. consolationibus autem dei et corpora
libus et spiritalibus ambularent ad conspectum eius uiam tenentes. quod factus est eis ihesus christus.
Et quia in ipso quoque ambulantes non sunt sine peccatis quae de huius uitae infirmitate
surrepunt. dedit elemosinarum remedia salutaria. quibus eorum adiuuaretur ora
tio. ubi eos dicere docuit. dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus
debitoribus nostris. Hoc agit ecclesia spe beata in hac uita erumnosa. cuius ecclesiae 5
petrus apostolus propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate
personam. Quod enim ad ipsum proprie pertinet natura unus homo erat gratia unus christianus.
habundantiori gratia unus idemque apostolus primus. Sed quando ei dictum est tibi dabo
claues regni celorum. et quodcumque ligaueris super terram erit ligatum et in celis. et quod
cumque solueris super terram erit solutum et in celis. uniuersam significabat ecclesiam
quae in hoc seculo diuersis temptationibus uelut imbribus. fluminibus et tempestatibus
quatitur et non cadit. quoniam fundata est super petram unde petrus nomen accepit.
Non enim a petro petra. sed petrus a petra. sicut non christus a christiano. sed christianus a christo uo
catur. Ideo quippe ait dominus. Super hanc petram edificabo ecclesiam meam. quia dixerat
petrus. tu es christus filius dei uiui. Super hanc ergo inquit petram quam confessus es edi
ficabo ecclesiam meam. Petra enim erat christus. Super quod fundamentum etiam ipse edifi
catus est petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere preter id quod positum est.
quod est christus ihesus. Ecclesia ergo quae fundatur in christo claues ab eo regni celorum accepit in
petro. id est potestatem ligandi soluendique peccata. Quod est enim per proprietatem in christo
ecclesia. hoc est per significationem petrus in petra. qua significatione intelligitur
christus petra. petrus ecclesia. Haec ergo ecclesia quam significabat petrus quamdiu degit
in malis amando et sequendo christum liberatur a malis. magis autem sequitur in eis qui
certant pro ueritate usque ad mortem. Sed uniuersitati dicitur. sequere me. pro qua uni
uersitate passus est christus. De quo idem dicit petrus. Christus passus est pro nobis relinquens nobis
exemplum ut sequamur uestigia eius. Ecce propter quod dictum est ei. Sequere me. Est autem
alia uita inmortalis quae non est in malis. ubi facie ad faciem uidebimus quod hic
per speculum et in enigmate uidetur quando multum in conspicienda ueritate proficitur.
Duas itaque uitas sibi diuinitus predicatas et commendatas nouit ecclesia. quarum est
una in fide alia in specie. una in tempore peregrinationis. altera in eternitate
mansionis. una in labore et altera in requie. una in uia. altera in patria. una
in opere actionis. altera in mercede contemplationis. Vna declinat a malo et
facit bonum. altera nullum habet malum a quo declinet. et magnum habet quo fru
atur bonum. una cum hoste pugnat. altera sine hoste regnat. una fortis est
in aduersis. altera nichil sentit aduersi. una carnales libidines frenat.
altera spiritalibus delectationibus uacat. una est uincendi cura sollicita.
alia uictoriae pace secura. una in temptationibus adiuuatur. altera sine
ulla temptatione in ipso adiutore letatur. una subuenit indigenti.
altera ibi est ubi nullum inuenit indigentem. una aliena peccata ut sua